

6. METONYMIA EFFICIENTIS est, cum efficiens ponitur pro effecto.

(Quandocumq; nomen significans propriè causam efficientem, inventorem scilicet & auctorem, pro vocabulo rei effectæ & inventæ ponitur, Metonymia causa efficientis dicitur. Huc igitur pertinet secunda species Metalepseos, quam vulgò tradunt, cum scilicet efficiens ponitur pro effecto, & quarta, cum ex priori posterius significatur. ut, cum ira ponitur pro pœnâ iram consequente.)

7. Ejus modi præcipuè duo sunt. I. Cum inventor & auctor ponitur pro ipsis rebus effectis & inventis, ut, Mars pro bello. Ceres pro frugibus. Vulcanus pro igne. Bacchus pro vino.

8. II. Cum scriptores ponuntur pro ipsis libris sive operibus scriptis. ut, Virgilius pro libris à Virgilio scriptis. Moses pro libris à Moyse scriptis. Livius pro historia à Livio scriptâ.

### Exempla promiscua alia.

Gen. i i. Terra erat labii unius, id est, eiusdem sermonis, qui labiis proferri solent.

Gen. 25. Isaac amabat Esavum, quia venatio erat grata in ore eius, id est, caro ferina venando comparata.

Pfal. ii. Disperdat Dominus universa labia dolosa & linguam magniloquam. Qui dixerunt, linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, qui noster Deus est, id est, sermones vanos & spermologos. Vbi est Metonym. Allegor.

Pfal. 14.5. Exultabit Jacob, & Israël letabitur, id est, Israëlita.

Amos 3. Nesciverunt facere rectum thesaurizant iniqui-

qui-